



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari Veterum Libri Duo

Scheffer, Johannes

Francofurti, 1671

Cap. XVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13156

Cap. XVIII.

Equis tribus ad jugum.) Imo à duobus subjugis, & uno funali, quod abunde declaratum est.

Hoc volumine.) Quod scripsit de Familiis Romanis, & cujus pars est hoc opusculum. Alias qui nummos volet cernere, consulat Urfinum in familia Claudia, Nævia, & aliis.

Cap. XIX.

Ab Erichthonio.) Hoc non sic simpliciter est verum, quod monstravi alibi.

Iuxta traditionem poetarum relucet inter stellas.) Ne hoc quidem verum est. Nunquam quadrigas retulerunt inter sydera, sed Erichthonium, quem Aurigam nuncuparunt. Consule Germanicum, ejusq; veterem Scholiasten.

Quinquejuga.) Talis mihi hætenus non est observata.

Exjuga.) Scribendum *hexjuga*, vel potius *sexjuga*.

Victoriatum cum imagine victorie.) Vide Plinium lib. XXXII.

cap. 3.

Trigarium certamen.) Hoc totum esse commentitium, & electione prava natum, pridem demonstrarunt eruditi, & nos quoque aliqua habemus, ubi egimus de trigis.

Præter alteras, quas tenet manibus.) Putat duplices habenas habuisse, sicut liquet etiam ex sequentibus. At nemo veterum hoc prodidit. Repugnant etiam imagines. Vide quadrigas exemplo Rubenianarum delineatas nobis.

Octajuges & nonajuges.) Vellem ostendisset nobis, ubi currus hi legantur. Nobis enim hætenus sunt incogniti.

Cap. XX.

Uti sunt in cursu.) Imo verò ad onera vehis plaustrisq; utebantur, non ad cursum. Nam de cursu publico ne ipse quidem loquitur.

Octophorarius.) Ficta, barbaraq; vox, & incognita scriptoribus.

Solus usus est Caligula.) Hoc sine dubio hausit ex Suetonio. Sed is nihil tale, tantum ita habet cap. 43. *Irer confecit in-*